AUTHOR:

FREUDENBERG, JOHANN

TITLE:

QUAESTIONES HISTORICAE IN CORN. NEPOTIS...

PLACE:

BONN

DATE:

[1842]

Master Negative #

93-81310-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Freudenberg, Johann,
...Quaestiones historicae in Corn. Nepotis vitas excell. imperat. partic. II, scripsit Io. Freudenberg... Bonn, Georgi, [1842]
24 p. 26 cm.


At head of title: Jahresbericht über den schulcursus 1841-42 am Königlichen Gymnasium zu Bonn...


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches


1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3

Jahresbericht

über den

Schulcursus 1841—42

am

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann.
Direktor des Gymnasiums.

Inhalt:

Bonn,
gedruckt bei Carl Georgi.

1842

Praefatio.

Abhinc tres annos quum *quaestionum historicarum in Cornelium Nepotem* particulam primam ederem, occasione data scribendi alterum specimen subsecuturum esse promiseram. Quod promissum quominus persolverem paene deterritus sum, quum *Rinckii ad Aemilium Probum prolegomena, Rothianae* vitarum excellentium ducum editioni praefixa, superiore anno in lucem prodissent, in quibus vir ille ingenio et doctrina ornatus, ut has vitas non a Nepote, sed a Probo, tanquam personato Nepote scriptas esse probaret, in rerum ibi propositarum fidem dedita opera inquisivit atque ad res difficiliores inlustrandas atque enucleandas haud pauca contulit. Verumtamen idem vir quum nimio de hoc libello detrahendi studio abreptus saepius temere calumnietur, tum novam opinionem excogitavit, scriptorem vitarum non ex iis, quos ipse nominasset, auctoribus, Thucydide, Theopompo, aliis, sed ex posterioribus peioris notae sua sumpsisse; quo commento factum est, ut multis locis de huius auctoritate parum recte ac sincere iudicaret, interdum a vero plane aberraret*). Quae quum ita sint, meam qualiscunque est operam non plane inutilem futuram esse spero, quum etiam post Rinckii curas instituto modo, quem viris harum rerum intelligentibus haud improbari intellexi**), ceterarum quoque vitarum fidem explorare pergam.

---

*) Conf. in hanc rem meam editionis Rothianae censuram in *Museo magistror. rhenan. et guestphal.* fasc. II, p. 134 sqq.

**) Conf. *Iahnii Ann. phil. et paedag.* a. 1840, T. XXVIII. p. 445 sq.

V. Cimon.

Quod in praefatione harum quaestionum part. I. iudicium fecimus, Nepotem in vitis excellentium ducum enarrandis festinantius atque negligentius versatum quum res et nomina interdum confudisse, tum in temporum notatione haud raro lapsum esse, si rerum, quae in Cimonis vita narrantur, auctoritatem diligentius exploraveris, vel maxime confirmari intelliges. Iam statim in *primi* capitis initio quae leguntur: *quum pater (Miltiades) litem aestimatam populo solvere non potuisset ob eamque causam in vinculis publicis decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur, neque legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater multatus erat, solvisset* a ceterorum, qui hanc rem memoriae prodiderunt, scriptorum fide tantopere discedunt, ut vix aut omnino non cum ea possint conciliari. Quod si singulos huius rei testes audiamus, eorum antiquissimus *Herodotus* l. VI. c. 136, neque de Miltiadis patris, nec de Cimonis filii custodia mentione facta, illud tantum dicit, quinquaginta talentorum multam Miltiadi propter res contra Parum insulam male gestas irrogatam, quum pater ex vulnere aeger obisset, filium eius Cimonem solvisse; tum *Plutarchus*, qui Cimonis vitam uberrime explicavit, ut Miltiadem, quod multae solvendae par non esset, in vinculis publicis decessisse memorat (V. Cim. c. 4, p. 480), ita ne verbo quidem Cimonis filii custodiae meminit. Prima vinculorum mentio invenitur apud *Diodorum Sic.* Fragm. l. X, T. VI. p. 40 sq. ed. Tauchn., ubi haec leguntur: *ὁ Κίμων, τελευτήσαντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν τῇ δημοσίᾳ φυλακῇ διὰ τὸ μὴ ἰσχύσαι ἐκτίσαι τὸ ὄφλημα, ἵνα λάβῃ τὸ σῶμα τοῦ πατρὸς εἰς ταφήν, ἑαυτὸν εἰς τὴν φυλακὴν παρέδωκε καὶ διεδέξατο τὸ ὄφλημα*, neque tamen his verbis scriptor Cimonem legibus in vincula coniectum esse, sed sua sponte vincula subisse ait

pietate commotum, ut hac ratione patris corpus sepeliendum redimeret. Diodorum deinceps ad unum omnes secuti sunt scriptores, qui rem attigerunt: *Valerius Maximus* V, 3 ext. 3 et 4 ext. 2, *Iustinus* II, 15, 19, *Seneca* Controv. 24, *Quintilianus* Declam. 302 et qui agmen claudit *Libanius* rhetor in declamatione Cimonis pro patre in carcerem ituri (Tom. IV, ed. Reisk.); nam *Demosthenis* locum ex oratione adv. Aristocr. p. 688, quem in editione Nepotis Bosiana Fischerus laudavit, haudquaquam ad rem pertinere, cuivis accuratius legenti apparebit; quo de loco subobscuro legas, quae ingeniose annotavit *Ed. Meierus* in libro qui inscribitur: *Historia iuris Attici de bonis damnatorum* p. 5. Quae quidem tot scriptorum testimonia Nepotis narrationi plane contraria quo pacto cum eius fide conciliemus? Rhetorumne more Nepotem sua finxisse, an aliorum scriptorum, qui temporis iniuria interciderunt, auctoritatem in hac re narranda secutum esse credamus? Horum quod altero loco posui ut statuam, adducor *Libanii* verbis in declam., quam supra laudavi, p. 343: *εἰπέ μοι, ἢν δὲ δόξω φλυαρεῖν ὑμῖν, καὶ δέξηται τὴν τελευτὴν ἐν τοῖς δεσμοῖς ὁ πατήρ, οὐκ αὐτὸν εὐθύς με δεήσει δεδέσθαι; Πάνυ γε. Τί οὖν δεινόν, εἰ ἀντὶ τοῦ τρισὶν ὕστερον ἡμέραις τήμερον τοῦτο ἔσται; — μένει τοίνυν ἐν ἐμοὶ τὸ ὄφλημα*, quibus quidem verbis, post Miltiadis patris obitum filio vincula subeundi necessitatem impositam fuisse, haud obscure indicari mihi videtur. Sed quidquid de Nepotis auctoritate statuimus, et Plutarchi silentium, et ipsorum qui hanc rem commemoraverunt scriptorum inter se discrepantia tantum apud me valent, ut totam de Cimonis sive voluntariis sive legitimis vinculis narrationem a rhetoribus confictam esse cum Rinckio coniiciam, scilicet ut haberent declamandi argumentum ad misericordiam commovendam aptissimum. Quae quidem suspicio quum ipsius Libanii declamationis, quae etiam nunc exstat, exemplo egregie commendetur, tum ea re vel maxime confirmari mihi videtur, quod nusquam, ne apud oratores quidem Atticos, eiusmodi legis mentio infertur, quae eorum, qui multa populo non soluta in carcere obissent, liberos eodem coniici iusserit: immo vero ad unum omnes in eo consentiunt, eiusmodi parentum, quin etiam eorum, qui publice interfecti essent, liberos tantum *infamiae* (*ἀτιμίας*) ac debiti paterni heredes factos, id est, iure et in senatu et in concione dicendi privatos esse. De qua re compares Demosthenis or. c. Timocrat. p. 762 ibique Ul-

pianum, eiusdem or. c. Androt. pag. 603 fin. et adv. Theocrin. in.; praeterea adeas *Boeckhii* oecon. civ. Ath. I, pag. 420 sq., *Meierum* de bon. damn. p. 135 sq., *Meieri* et *Schoemanni de ordine iudicior. Attic.* librum p. 743 sq., denique *C. F. Hermanni* Antiq. graec. p. 233 cum nota 14 et p. 235. Sed ne quid dissimulem, pro Nepotis fide stare videtur *Suidas*, qui sub voce Ἀριστογείτων Scydimi cuiusdam, qui quod multam aerario debitam solvere non posset, in vinculis decessisset, filium Aristogitonem, ut paterni debiti heredem, in vincula coniectum esse tradit. Cui quidem narrationi quantum fidei habendum sit, quum eius fontem monstravero, facile apparebit: est enim, nisi egregie fallor, sumpta vel potius inepte concinnata ex Demosthenis or. c. Aristog. p. 787 sqq., ubi et patris mors et Aristogitonis custodia memoratur, quanquam patris nomen aliunde petitum esse oportet.

Locus qui sequitur §. 2: *habebat in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen*, unus omnium est vexatissimus; quem quum Lambinus nodo inexplicabili impeditum esse putaret, contra *Mureti* dubitationes (*Var. Lect.* l. VII, c. 1 et XV, 5) *germanam sororem* aliam esse non posse, nisi iisdem et patre et matre natam affirmantis, egregie inlustraverunt *Ianus Rutgers.* Var. Lect. l. I, c. 9, p. 39. et *Io. Mich. Heusingerus* in *Spicil. Emend. Corn. Nep.* ad h. l., qui rariorem sane *germanus* vocabuli vim, qua et hoc loco et Praef. §. 4 apud Nepotem soror ὁμοπάτριος seu consanguinea significatur, duobus locis huius similibus *Livii* XL, c. 8, ubi *germanitatis* nomen filios coniungit, alterum legitimum, alterum ex pellice natum, et *Servii* ad Virg. Aen. V, 412 comprobavit. Quare de eadem re non esset, quod plura diceremus, nisi *Rinckius* nuper, scilicet ut scriptori nostro sequioris latinitatis notam inureret, in Prolegomenis p. XL totam causam retractans mirum in modum vera falsis miscuisset. Ait enim vir doctus, se iis credere, qui scriptorem ipsum, quum *consanguineam* indicare voluerit, et hoc loco et in praefatione contra latinitatem *germanam* dixisse existiment; sic enim sibi persuasit, errasse Nepotem et contra veritatem historiae Cimonem purgare conatum esse, quum Cimonem re vera cum germana sorore, id est, eodem patre eademque matre nata, rem habuisse ideoque in exilium missum esse et *Andocides in Alcib.* (c. 33) et *Cyrillus adv. Iulian.* l. VI. ed. Aubert T. VII. p. 187 testentur. Quibus testimoniis addi potuit *Tzetzae* si qua est auctoritas, qui Chil.

I, 58 Cimonem ob illius matrimonii invidiam quinquaginta talentis multatum esse narrat. At vero hae rationes quam parum valeant ad Nepotis hac in re auctoritatem infirmandam facile apparet. Primum enim illa *germanus* vocabuli vis, quamquam infrequentior est, in duobus certe locis, quos *Heusingerus* l. c. attulit, invenitur; nam tertium, quod Rinckius in hanc rem laudavit, exemplum §. 4. *Instit. de legit. agn. success.*: — *ad successionem patris sui vocentur — etiam germanae consanguineae* magnopere vereor, ne abs re alienum ac potius in formulis forensibus numerandum sit, in quibus perspicuitatis causa duae res vel similes vel contrariae omissa coniunctione copulantur. De qua re adeas *Niebuhr. Hist. Rom.* T. I, p. 466. ed. II. Deinde quod Rinckius neglecta Plutarchi auctoritate, qui Vit. Cim. p. 481 in. diserte ait fuisse, qui Elpinicen, quum propter inopiam qui suo genere dignus esset sponsum non invenisset, non clam, sed palam fratri nupsisse traderent, explosam istam de Cimonis exilio eiusque causa fabulam etiamnunc pro vera venditat, non possum quin maximopere ad mirer. Quum enim Andocidis orationem adversus Alcibiadem non ab eo, cuius nomen prae se ferat, scriptam, sed a rhetore quodam serioris aetatis satis inepte concinnatam esse, *Ed. Meierus* compluribus a se editis dissertationibus evicerit, tum totam narrationem absurdam esse et a legum Atticarum ratione quam maxime alienam, facile potest demonstrari; nam ob eiusmodi crimen, si modo crimen visum esset Atheniensibus, sororem consanguineam in matrimonium ducere, Cimon nec pecunia multari, nec in exilium, cuius aliam causam fuisse infra videbimus, expelli potuit. In hanc rem compares quae diligenter disputavit *Ed. Meierus* de bon. damnat. p. 5.

Quae quum ita sint, ex testimoniis istis nihil aliud efficitur, nisi eiusmodi matrimonia, etsi legibus concessa, tamen ab Atheniensium sensu abhorruisse. Neque tamen desunt talis coniunctionis exempla, quorum unum est apud Plutarchum Them. cap. 32, ubi Archeptolis, Themistoclis filius, Mnesiptolemam, sororem non eadem matre genitam, uxorem duxisse traditur, alterum invenitur apud Demosthenem c. Eubulid. p. 1304, ubi haec leguntur: *ἀδελφὴν γὰρ ὁ πάππος οὑμὸς ἔγημεν οὐχ ὁμομητρίαν οὖσαν.* Reliquum est, ut eos, qui de huius instituti ratione plura scire cupiant, comparare iubeam *Hermanni* Antiq. Graec. p. 224, not. 4 et *Montesquevii* librum, qui inscribitur *esprit des lois*

l. V, 5, ubi huius moris causa inde repetitur, ne uni duplex hereditas obveniat: nam si quis uterinam s. *ὁμομήτριον* sororem duxisset, fieri potuit, ut ab huius sororis patre, si virili stirpe careret, alteram hereditatem adipisceretur.*)

Quae his subiecta sunt verba: *Huius coniugii cupidus Callias quidam, non tam generosus quam pecuniosus* et q. s. et ipsa mirum quantum male habuerunt interpretes, quorum in aliam alii de homine, cui nupsisse dicitur Elpinice, sententiam discesserunt. Eorum tamen plurimi, in quo numero etiam Rinckius est, et hoc loco et apud Plutarchum in vita Cim. cap. 4, eum Calliam intelligendum esse putant, qui *λακκοπλούτου* cognomen invenit omniumque Atheniensium ditissimus fuisse traditur. De qua re conferas Plutarchi Vit. Arist. c. 25, Scholiastam Aristoph. ad Nub. v. 65, Suidam, Photium et Hesychium sub voce *λακκόπλουτος*. Unus tantum *Staverenus* et Nepotis et Plutarchi loco, quem modo laudavi, ubi haec leguntur: *ἐπεὶ δὲ Καλλίας, τῶν εὐπόρων τις Ἀθήνησιν ἐρασθεὶς προσῆλθε, τὴν ὑπὲρ τοῦ πατρὸς καταδίκην ἐκτίνειν ἕτοιμος ὢν πρὸς τὸ δημόσιον, αὐτήν τε πεισθῆναι καὶ τὸν Κίμωνα Καλλίᾳ συνοικίσαι τὴν Ἐλπινίκην*, non Calliam illum ex clarissima familia oriundum, sed novum quendam hominem, obscuro loco natum, qui lucro ex argentifodinis facto ad magnas divitias pervenisset, dici arbitratur. Quam sententiam recte mihi amplexus esse videtur et *Boeckhius* Oecon. civil. Ath. T. II, p. 17, ubi accuratissime de tota Calliarum gente disputavit, et vir doctus, qui in *Encyclopaedia reali literarum antiquarum a Paulio* edita sub voc. *Cimon* hanc in rem peropportune tertium locum attulit ex *Chrysostomi* Or. de fide LXXVII, Tom. II, p. 391: *Κίμων ἄτιμος ἦν τὸν ἅπαντα χρόνον, εἰ μὴ τὴν ἀδελφὴν Ἐλπινίκην ἐξέδωκεν ἀνδρὶ ταπεινῷ καὶ χρήματα ἔχοντι, ὃς ὑπὲρ αὐτοῦ τὴν ζημίαν κατέβαλε πεντήκοντα τάλαντα.* Huc accedit, quod Callias ille, cui cognomen *λακκόπλουτος* erat, non ex metallis, sed aliis artibus primi belli Persici temporibus magnas pecunias fecisse et a Plutarcho et ab Aristophanis scholiasta traditur. Quare quae *Ed. Meierus* de bon. damn. p. 121 argumenta attulit, quibus Cal-

*) Consimile huius institutum fuisse apud Israelitas, Aegyptios ac Phoenices videre licet ex *Genesi* c. 20, 12, ad quem locum conferenda sunt *Rosenmuelleri* Scholia, ex *Levit.* 18, 3—24, *Diodoro Siculo* I, 27 et *Philone Iudaeo περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων εἰς δύο γένη* p. 302. Vol. II, ed. Mangey. Praeterea compares *Michaelis* librum, cui titulus: *Mosis de matrimonio leges* §. 37.

liam, cui cognomen fuit *λακκόπλουτος*, Cimonis sororem in matrimonium duxisse efficeret, ut probabilitatem tantum sequuntur solaque coniectura nituntur, ita disertis trium, quos demonstravi, scriptorum testimoniis refelluntur. Ne quid, quod ad rem pertineat, omittamus, in huius annotationis fine verbo monendum est, praeter *Boeckhium* l. l. *Perizonium* ad Aelian. V. H. l. XIV, c. 16, *Herbstium* ad Xenophontis Symp. pag. XVII sqq. et *Kruegerum* in *stud. historicophilol.* p. 112, not. 3 de *Calliarum* origine dedita opera disputasse.

Capitis II[di] initio, ubi Cimonis literarum doctrinaeque studia attinguntur, magnus Lambinus in verbis: *habebat satis eloquentiae* offendit, tanquam contrariis Plutarchi loco in vita Cim. c. 4, ubi Stesimbroto Thasio auctore Cimon nec musicae neque ceterarum artium liberalium, quibus graeca iuventus erudiri solebat, peritus fuisse narratur. Nimirum vir doctissimus minus attendit *satis* vocabuli vim, qua *Heusingerus* ad h. l. *mediocrem*, non artis praeceptis conformatam, sed communi dicendi usu politam eloquentiam a scriptore significari recte monstravit. Conferas in hanc rem Cic. de offic. II, 25, 5 et III, 14 in., ubi *satis* item pro mediocriter positum esse interpretes animadverterunt. Quae quidem nostri loci sententia egregie cum iis potest conciliari, quae apud Plutarchum l. l. ex eodem Stesimbroto petita leguntur, Cimonem ab attica illa dicendi vi (*δεινότητι*) atque loquentia (*στωμυλίᾳ*) alienum fuisse, sed in eius indole fuisse generosi aliquid ac sinceri moresque eius magis Peloponnesii viri speciem quam Atheniensis expressisse; neque ab his abhorrent quae inveniuntur apud *Aristidem* sophistam *περὶ τῶν τεττάρων* (i. e. de quattuor viris Miltiade, Themistocle, Cimone ac Pericle) p. 152 (ed. Dindorf. Vol. II. p. 203): *ὅτι μὲν τοίνυν οὐχ εἷς τῶν κομψῶν οὐδ' οἷος ὑπελθεῖν καὶ κολακεῦσαι Κίμων ἐγένετο, οἱ μηδὲ τὰ πατρῷα ἐθελήσαντες αὐτῷ παραδοῦναι μεχρὶ πόρρω τῆς ἡλικίας ἐπίτροποι μαρτυροῦσιν· οὕτως εὐήθη καὶ μᾶλλον ἀρχαῖον ἡγοῦντο. Ὅτι δὲ — καὶ λογίσασθαι περὶ πραγμάτων δεινὸς ἀνὴρ καὶ καταπρᾶξαι, καὶ τοιοῦτος οἷος μὴ μόνον παρ' Ἀθηναίοις εἰκότως εὐδοκιμεῖν, ἀλλὰ καὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις οὐ χαλεπῶς ἂν τὰ πρῶτα ἔχειν, ἐφεξῆς ἂν εἴη λέγειν.*

Quae proxime sequuntur verba: (*habebat*) *magnam prudentiam iuris civilis* haud scio an iis locis adnumeranda sint, in quibus scriptor popularium suorum usui consulturus patrios mores in exterorum imperatorum vitam contulerit. Nam

iis temporibus, quibus Cimon floruit, nisi rei necessitate quadam, quominus se ipsi defenderent, impediti essent, ut Miltiades (cf. Nep. Milt. c. VII, 5 et Herod. VI, 136), morem non fuisse, ut patroni vel causidici eorum causas susciperent, sed et in privatis et in publicis causis reos ipsos verba fecisse et exeunte demum bello Peloponnesio a rhetoribus, quorum primus Antiphon fuit, scriptas orationes ad defensionem adhiberi solitas esse, inter doctos constat; qua de re conferas *Odofr. Muelleri* hist. lit. graec. P. II, p. 318 et 325, *Hermanni* Antiq. gr. §. 142 in., *Heindorf.* ad Plat. Phaedr. p. 257. c. et *L. Hoelscherum* de Lysiae or. vita et dict. p. 43. Itaque vix credi potest, Cimonem ad magnam iuris civilis prudentiam pervenisse, praesertim quum Nepos ipse auctor sit, a puero eum cum patre in exercitibus esse versatum, neque ullus ceterorum scriptorum de hac re mentionem faciat. Ad idem genus referendus esse videtur locus, qui legitur in vita Alcib. III, 4: *plures etiam opera forensi suos reddiderat,* quanquam Alcibiadis aetate in iudiciis publicis pro reis alios interdum, qui postea *παράκλητοι* nominabantur, verba fecisse nec tamen causam perorasse veri est simillimum.

In rebus a Cimone gestis, quae capitis II^di^ §. 2 leguntur, enarrandis Nepotem minus diligentem fuisse temporumque rationem non semel perturbasse in aperto est. Quae enim tradit: *Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolin constituit eoque decem milia Atheniensium in coloniam misit* quanquam non omnino a vero abhorrent, tamen si *Thucydidem,* gravissimum harum rerum auctorem, comparaverimus, festinantius scripta esse facile deprehendemus. Is enim lib. I, c. 98 Cimone primum imperatore non *Amphipolin*, sed *Eionem*, urbem ad Strymonem sitam, quam Persae obtinebant, ab Atheniensibus captam esse narrat, neque quidquam de magnis Thracum copiis fugatis commemorat. Magis cum Nepote facere videntur, quae sunt apud *Plutarch.* V. Cim. c. 7: *πρῶτον μὲν οὖν μάχῃ τοὺς Πέρσας αὐτοὺς ἐνίκησε καὶ κατέκλεισεν εἰς τὴν πόλιν· ἔπειτα τοὺς ὑπὲρ Στρυμόνα Θρᾷκας, ὅθεν αὐτοῖς ἐφοιτα σῖτος, ἀναστάτους ποιῶν κ. τ. λ. Τὴν χώραν εὐφυεστάτην οὖσαν καὶ καλλίστην οἰκῆσαι παρέδωκε τοῖς* Ἀθηναίοις, sed de numero colonorum nulla apud eum est mentio. Quam ob rem vix dubito, quin puda Nepotem hoc loco colonia illa decem milium hominum intelligenda sit, quam Thucydides I, c. 100 et Diodorus XI, 70 fin. haud ita multo post pugnam

ad Eurymedonta commissam in Thraciae locum, qui tum Novem viae appellatus sit, deductam esse tradunt. Nihilominus tamen duae res sunt, quae offendant: primum enim huius coloniae Cimonem ducem fuisse nec Thucydides ait, nec eum qui secutus est Diodorus Siculus; quo accedit, quod non illo tempore Amphipolin revera constitutam esse utriusque testimonio comprobatur, unde apparet, decem milia colonorum, quum Novem viis occupatis in inferiorem Thraciam penetrassent, ab Edonis apud Drabescum oppressos et ad internecionem deletos esse; atque undeviginti demum annis post eam cladem Hagnone, Niciae filio, duce novam in easdem regiones coloniam missam eique Amphipolin nomen impositum esse, idem auctor est Thucydides l. IV, c. 102. Quo quidem loco quum Thucydides cladem illam triginta duobus annis post Aristagorae, Mileti olim tyranni, mortem accidisse dicat, calculis recte subductis priorem coloniam Ol. 78, 2, sive anno ante Ch. natum 467, alteram autem Ol. 86, 1 sive a. 436 deductam esse, haud temere colligitur. Conferas *Kruegeri stud. historicophil.* p. 145 sqq., qui in harum rerum tempora dedita opera inquisivit.

In verbis quae statim sequuntur: *Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit* scriptorem nostrum, quidquid *Tzschuckius* eius purgandi causa excogitavit, gravissimo errore lapsum pugnam ad *Mycalen,* Ioniae urbem, Leotychide et Xanthippo ducibus commissam cum proelio, quod ad Eurymedonta in Pamphylia decem annis post Cimone imperatore factum esse inter omnes constat, confudisse, quum ab aliis, quos *Bardilius* laudavit, tum nuper a Rinckio notatum est. Cuius quidem erroris causam si quaerimus, id maxime Cornelio fraudi fuisse haud temere credideris, quod uno die et ad *Mycalen* Plataeasque et apud Eurymedonta terra marique Persas devictos esse meminisset. — Etiam in navium hoc proelio captarum numero definiendo Nostrum minus accuratum esse, ex Thucydide l. I, c. 100 apparet, qui diserte ait: *καὶ εἷλον* (*οἱ* Ἀθηναῖοι) *τριήρεις Φοινίκων καὶ διέφθειραν τὰς πάσας ἐς διακοσίας*, id est: „Phoenicum ducentas ad numerum triremes et ceperunt et deleverunt Athenienses“; quibus verbis inductus et Nepos totam Phoenicum classem, quam Plutarcho Cim. c. 12 auctore *Ephorus* trecentarum quinquaginta, *Phanodemus* sexcentarum navium fuisse ait, significari opinatus est, et Plutarchus l. l. ducentas naves captas esse perperam scripsit. In hanc

rem comparanda sunt, quae diligenter disputavit *Kruegerus* l. c. p. 66, not. 4 et p. 126, not. 4.

Quae deinceps leguntur §. 4 de insulis a Cimone ad officium revocatis ac de Scyro vacuefacta, praepostere a Nepote posita esse in aperto est. Nam ex Thucydidis loco l. I, 98: *ἔπειτα Σκύρον τὴν ἐν τῷ Αἰγαίῳ νῆσον, ἣν ᾤκουν Δόλοπες, ἠνδραπόδισαν καὶ ᾤκισαν αὐτόν. Πρὸς δὲ Καρυστίους αὐτοῖς ἄνευ τῶν ἄλλων Εὐβοέων πόλεμος ἐγένετο. — Ναξίοις δὲ ἀποστᾶσι μετὰ ταῦτα ἐπολέμησαν καὶ πολιορκίᾳ παρεστήσαντο. Πρώτη δὲ αὕτη πόλις ξυμμαχὶς παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐδουλώθη* — luculentissime apparet post expugnatam demum et vacuefactam Scyrum insulas, quae in Atheniensium societate erant, in his primum Naxios, „propter imperii eorum acerbitatem" defecisse. Nec minus offendunt verba: *quod* (sc. Scyrii) *contumacius se gesserant*, quippe quum hanc insulam Atheniensium sociam non fuisse inter omnes constet. Veram huius expeditionis causam prodidit Plutarchus Cim. c. 8, ubi Dolopes ait et mare infestum reddidisse et eos, qui mercaturae causa ad ipsos navigarent, spoliasse. Ad rationem temporum, quibus Scyrus vacuefacta est, quod attinet, *Kruegerus* in libro, quem supra nominavi, p. 39, Plutarchi Cim. c. 8 et Thes. c. 36 ac Diodori Siculi XI, 60 testimoniis cum Thucydide comparatis, Ol. 75, 1 sive a. 475 ante Chr. n. id factum esse probabili ratione demonstravit.

Quod Nepos in huius capitis fine ait: *Thasios opulentia fretos suo adventu fregit* minus accurate scripta esse, quum ex ceteris scriptoribus, tum ex Thucydide apparet, qui l I, c. 100 Thasum insulam, quae opibus suis, et ex metallis, quae exadversum in Thracia sita erant, et ex mercatu maritimo comparatis confideret, non primo impetu, sed tertio demum obsidionis anno ab Atheniensibus ad deditionem coactam esse testatur. De cuius deditionis tempore legas, quae idem *Kruegerus* l. l. p. 145 sqq. atque *Rospattius* in *symbolis chronologicis ad hist. graec. ab anno 479 usque ad a. 431*, programmati gymnasii Monaster. Eifl. a. 1841 insertis p. 6 attulerunt, quorum ille eam anno a. Chr. n. 464, hic autem, cuius ratio mihi quidem magis probanda esse videtur, anno demum 463 accidisse statuit.

Extrema huius capitis verba: *his ex manubiis Ath. arx, qua ad meridiem vergit, est ornata* illustrantur loco Plutarcheo in V. Cim. c. 13; neque est, quod

cum Rinckio in verbis *his ex manubiis* haereamus, quippe quae non solum ad res Thasias, sed ad ea, quae paulo ante commemorantur omnia, inprimis ad victoriam apud Eurymedontem reportatam referri liceat.

De Cimonis exilio narrationi in *cap. III,* in qua scriptor summam tantum rerum gestarum attingendi consilium secutus, invidiae, qua Cimon oppressus sit, causas praetermisit, lux affunditur locis Thuc. I, 102 et Plut. Cim. c. 15, 16 et 17, ubi narratur, Athenienses Cimone auctore eodemque duce, rogantibus Lacedaemoniis, qui bello Messeniaco Ithomen urbem frustra obsiderent, auxilio venisse, sed quum eorum adventu urbis obsessio nihilominus traheretur, a Lacedaemoniis, qui socios accitos novis rebus studere Messiniisque favere suspicarentur, solos ex sociis re infecta esse remissos; quo facto Cimonem, qui iam ante propter nimium optimatium et Lacedaemoniorum studium in suspicione fuisset, in tantam civium offensionem incurrisse, ut propter hanc levem causam, Ephialte in primis auctore, in decem annorum exilium mitteretur.

Quae post: *testarum suffragia* addita sunt verba: *quod illi ὀστρακισμόν vocant* ut a latina dicendi consuetudine, ex qua non *quod,* sed *quae* vel *quem* dicendum est, abhorrent, ita hoc loco aliena sunt ac potius in vita Them. VIII, 1, vel Aristid. I, 2 reponenda, ubi prima huius damnationis generis mentio infertur. Quam ob rem magnopere verendum est, ne Probus haec verba explicandi causa ipse addiderit. De qua re conferas censuram meam, quae est in *Museo magistr. rhen. et guestph. fasc.* II, p. 113.

In iis, quae deinde sequuntur nihil est, in quo offendamus, nisi quod parum accurate scripta esse videntur verba: (quum) *bellum Lacedaemonii Atheniensibus indixissent;* etenim Cimonis revocandi consilium non post *indictum*, sed post illatum Lacedaemoniis bellum atque adeo post pugnam Tanagraeam ortum esse, ceteri scriptores confirmant, ut Plutarchus V. Cim. c. 17. Neque tamen ideo Nepotem erroris incusaverim, quum apud eum *indicendi* vocabulis significationem paulo latius patere similibus locis, qui leguntur Thrasyb. I, 5, Alcib. III, 1 et Con. II, 4, comprobetur.

In notando tempore, quo Cimon exul domum revocatus sit, egregie Nepos consentit cum *Theopompo*, quem in tota hac re narranda ducem ei fuisse veri simile est. Is enim apud Aristidis scholiastam (ed. Dind. p. 528, Ephori fragm.

ed. Marx pag. 224) haec affert: Θεόπομπος ἐν τῇ ι' τῶν Φιλιππικῶν περὶ Κίμωνος· οὐδέπω δὲ πέντε ἐτῶν παρεληλυθότων, πολέμου συμβάντος πρὸς Λακεδαιμονίους, ὁ δῆμος μετεπέμψατο τὸν Κίμωνα, νομίζων διὰ τὴν προξενίαν ταχίστην ἂν αὐτὸν εἰρήνην ποιήσασθαι. Ὁ δὲ παραγενόμενος τῇ πόλει τὸν πόλεμον κατέλυσεν. Theopompum Plutarchus Cim. c. 18 et Aristides περὶ τῶν τεττάρων p. 158 (ed. Dind. Vol. II, p. 318) et p. 284, 10 (Dind. II, p. 367) secuti sunt, quanquam exilii tempus non definierunt. At quae statim subsequuntur: *Ille, quod hospitio Lac. utebatur, satius existimans contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit* non iniuria offendunt, quum nec Plutarchus V. Cim. c. 17 sq. de hoc Cimonis itinere Lacedaemonem facto quidquam prodiderit, nec Thucydides, nisi quod l. I, c. 112 brevi ante expeditionem contra Cyprum quinque annorum inducias inter Peloponnesios et Athenienses factas esse scripsit, ullam de pace Cimonis opera conciliata mentionem fecerit. En nova dubitatio nobis iniecta, utrum Nepotem in hac profectione narranda aliorum scriptorum fidem secutum esse credamus, necne. Quem quidem scrupulum feliciter nobis exemit Rinckius indicatis duobus locis, ad Nepotis verba inlustranda accommodatissimis, quorum alter exstat apud *Andocidem de pace cum Laced.* §. 3 sq., alter autem, quem ex Andocide desumptum et in brevius contractum esse satis probasse mihi videtur *A. G. Beckerus* in Andocide ab ipso latine converso et explicato p. 231 sqq. et p. 250 sqq., invenitur apud *Aeschinem* de falsa legat. c. 50. Quibus in locis quanquam mirum in modum vera falsis mixta sunt, de qua re magna cum diligentia Beckerus in libro, quem supra nominavi, disseruit, id certe efficitur, Cimonem statim post reditum in patriam Lacedaemone de pace concilianda coram egisse, ut Nepotem sua non temere scripsisse, sed aliorum scriptorum, et quod vero proximum est, inprimis Andocidis auctoritatem secutum esse appareat. Itaque mirandum non est, eum et in temporum ratione parum fuisse accuratum, quum Andocides et ipse erraverit, et minus recte scripsisse, *pacem*, nec vero *inducias* a Cimone impetratas esse, quum non solum Andocides, sed etiam Plutarchus V. Pericl. c. 10 *pacem* eius opera conciliatam esse commemorent. Quod si quis quaesiverit, quo pacto haec scriptorum discrepantia possit consociari, equidem haud temere coniicere mihi videor Cimonem, simulatque post pugnam

Tanagraeam ipso Pericle auctore domum reverterit, illico ad pacem sanciendam Lacedaemonem missum esse, neque tamen antea inducias a Lacedaemoniis impetratas esse, quam Graeci depositis mutuis simultatibus in unum coniuncti Cimone duce Persarum regi bellum inferre constituissent, Ol. 82, 3 s. anno 450; de qua temporum ratione conferatur *Rospattius* l. c. p. 9, neque audiendus est Diodorus Sic., qui l. XI, 86 Aristone archonte, id est Ol. 81, 3, seu a. 454 a. Chr. quinquennales inducias factas esse perperam tradidit.

In Cimonis rebus gestis, quae in extremo capite narrantur, quanquam Nepos maximam partem cum Thucydide I, 112 et Plutarcho Cim. c. 18 concinit, in hac re tamen ab illorum fide discrepat, quod *in oppido Citio* Cimonem mortuum esse dicit, quum in *oppugnando* hoc oppido eum decessisse ab utroque scriptore confirmetur. Nam Diodori Sic., qui l. XII, 4 Cimonem post geminam et mari et terra reportatam victoriam pacemque cum Persis constitutam in Cypro mortuum esse ait, auctoritatem prae Thucydidis fide non magni existimandam esse nemo non intelligit. In hanc rem compares *Kruegerum* l. c. p. 12, n. 1, qui Diodorum non inficetis Phanodemi verbis, quae Plutarchus V. Cim. c. 19 memoriae prodidit: στρατηγηθῆναι Ἀθηναίους ὑπὸ Κίμωνος τεθνηκότος ἐφ' ἡμέρας τριάκοντα in errorem inductum esse acute coniecit.

